



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

**Agustín, Antonio**

**Parisiis, 1672**

XIII. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10634**

## DE EADEM RE.

*Dialogus decimustertius.*

C. DE duobus mihi satisfieri velim, quis Gille Carolus est ad quem Nicolaus scripsit, (Carolus enim Magnus esse tempora non patiuntur) & qui sunt hi tituli viginti quorum tres peracti sunt, qua de re singuli conscripti, & à quo sunt collecti. A. De Carolo rectè ais Carolum Magnum non esse. Mortuus est enim sub Leone tertio Pontifice. Quadragesimo quarto anno post mortem Caroli Nicolaus eligitur anno Christi octingentesimo quinquagesimo octavo. Carolo Ludovicus Pius filius successor fuit. Huic tres filij fuerunt, Lotharius Imperator & Ludovicus & Carolus. Ludovicus Germanorum, Carolus, qui cognomento Calvus dicitur, Francorum Rex post patris mortem dicebantur. Lotharius Imperator filios quoque tres reliquit, Ludovicum minorem Imperatorem, & Lotharium, & tertium Carolum. Hi quoque duo, alter Lotharingæ, alter Provinciæ præfuit, & Regum nomen acceperunt. Calvus, post Ludovici minoris mortem, Imperator appellatus est anno Christi octingentesimo septuagesimo sexto. Hujus fratri Ludovico, quem Germanis imperasse diximus, filij fuerunt Carlomannus & Carolus. Sed quæ de Nicolai verbis accepimus, ad Caro-

lum Regem cognomento Calvum pertinere putamus, qui tunc Francorum Rex dicebatur. C. Lotharius autem quis est ex supra dictis, an Lotharius Lotharij Imperatoris filius? A. Is ipse est de cujus scelere agitur, qui Reginam Thietbergam à se depulerit, fectis apud synodum criminibus, ut Vualdradam concubinam loco uxoris teneret. De titulis non est quòd magnopere labores. In Conciliis enim à Joanne Cochlæo collecti extant. Primo titulo de constitutionibus Ecclesiæ agitur, altero de consuetudine, tertio de judiciis. Sequitur quartus de Romana Ecclesia & sede apostolica, in quo sunt capita undecim. Pri-

Dist. 22. c. 1.

Ansel. lib. 1.  
c. 65.

Dist. 79. c. 1.

Ansel. lib. 6. c.  
12. in addit.  
à Cæs. lib. 3.  
c. 9.

imum caput à Gratiano distinctione XXII. ita inscribitur: *Vnde Nicolaus Papa scribit Mediolanensibus.* Anselmus tamen refert hoc pacto: *Ex epistola Nicolai Papæ junioris Mediolanensibus missa.* B. Selecti viri notarunt Petri Damiani verba esse, qui Legatus fuit Nicolai secundi, & orationem ad Mediolanenses inscriptam reliquit. C. Quid respondebimus Demochari & Contio ita in margine adscribentibus: *Ex epistola ad Michaëlem potest ostendi, qua sola exstat.* B. Nec solam exstare, nec in ea hæc esse quærenda. (I) A. Vereor ne etiam alterum caput ad eundem Nicolaum minorem pertineat, ut rectè Demochares arbitratur, quamvis Nicolai tantum nomen adscripserit Gratianus. *Nicolai in Concilio XIII. Episcoporum* Anselmus mendosè. Melius est in libro Cæsaraugustano à: *Nicolaus junior in Concilio CXIII. Episcopo-*

Id Concilium bis editum est cum aliis Coloniae. In priori editione Nicolao primo adscribitur, in posteriori Nicolao secundo. C. Utra verior est? A. Verus est, posteriores cogitationes esse meliores. Sed res erat aperta, cum in eo Concilio de Berengarii Andegavensis palinodia agatur, quæ apud Ivonem *b* & Gratianum *c* exstat & apud Lanfrancum in libro de sacramento eucharistiæ & in registro Gregorij septimi, coram quo iterum eandem hæresim damnavit, & in libro Tarraconensi *d*. Non potuit autem idem coram Nicolao primo & coram Gregorio VII. palinodiam canere cum ducentorum annorum intervallum sit. Hoc autem caput, de quo agimus, in eo Concilio plenius scribitur, & à Gratiano iterum refertur in eadem distinctione LXXIX. cap. IX. *e* & ab Ivone *f* & Anselmo *g*, & est in libro Cæsaraugustano *b* superiori conjunctum cum hac inscriptione: *Idem in eodem*. Demochares eidem capiti adscripsit in margine: *Nicolaus Papa II. C.* Ab Ivone accipere potuit, qui ita inscripsit: *Nicolaus junior synodo presidens in Constantinopolitana Ecclesia cap. II.* Sed fuitne Nicolaus unquam Constantinopoli in synodo? A. Nunquam, quod sciam. Sed Romæ id Concilium habitum est in basilica Constantiniana. C. Erratum igitur est in simili nomine? A. Ita existimo. Non malè Cochlæus cap. I. & IX. conjunxit cum hac inscriptione: *Nicolaus in Concilio presidens*. Malè autem Nicolao primo utrumque caput

*b* Ivo lib. 1.  
tit. 4. c. 4.  
Panor. &  
par. 2. c. 10.  
dec.  
*c* De consecr.  
d. 2. c. 42.  
Ego B.  
*d* Tarrac. lib.  
5. c. 58.

*e* Dist. 79. c.  
9. Si quis.  
*f* Ivo par. 5.  
c. 80. dec.  
*g* Anf. lib. 6.  
c. 13.  
*h* Cæs. lib. 3.  
c. 10.

346 LIBRI POSTERIORIS  
adscript. Quid selecti viri statuunt? B. Ca-  
put nonum Nicolao secundo in Concilio Ro-  
mano adscribunt. Caput verò primum inscri-  
bunt: *Nicolaus in Concilio Romano cap. 1.*  
(2) A. Nos ad caput tertium tituli quarti  
veniamus. Id Gratianus Nicolai tantum no-  
mine inscripsit. addit Cochlaeus: *Ludovico  
Imperatori.* Tu quid habes ex tuis epistulis?  
B. Nihil omnino. (3) Caput quartum bis  
Gratianus *i* posuit. Est in epistola magna ad  
Michaëlem Imperatorem, ut idem & Ansel-  
mus *k* notant. (4) Caput quintum ejus ar-  
gumenti est, de quo alio die dictum est epi-  
stulas xv i. inveniri in bibliothecæ appendi-  
ce, & easdem esse in veteri libro cum aliis  
permultis. Apud Gratianum *l* in inscriptione  
Hincomari Remensis Archiepiscopi nomen  
desideratur, & pro Rothado Rotardus Epif-  
copus scribitur. Apud Anselmum rectè ille  
Hincomarus dicitur, hic non rectè Rothar-  
dus. B. Hæc est in appendice epist. xiii. in  
veteri libro epist. x. cujus initium, *Si coram.*  
In utraque *Hincomarus* est, *Rothaldus* in ap-  
pendice, *Rothadus* in veteri libro. A. De aliis  
varietatibus videamus. B. Pro illis, *accepto  
fomite judicij materiam*, in appendice est, *ac-  
cepta fomitem judicij & materiam*, in veteri,  
*accepta fomite judicij & materiam*. A. Placet  
mihi appendicis scriptura. B. Pro verbo *re-  
movit* in illis est *revocavit*. Pro *& infra. Pri-  
vilegia tamen & c.* in appendice est, *cum etiam  
si nullus à vestro judicio provocasset, privile-  
gia tamen & c.* In veteri est: *Quem etiam si*

Dist. 97. c.  
ulr.

i 1. q. 1. c. 123.  
& 9. q. 3. c.  
21. Per prin-  
cipalem.  
k *Anf. libr. 1.*  
c. 72.

12. q. 6. c. 13.  
Arguta.

illis pateret indiciis, à vestro illum ad nostrum iudicium provocasset, privilegia tamen &c. A. Mutandum est in veteri cum pro quem, & ille pro illum. B. Pro, quod iterum dicitur, & infra, in utroque libro multa scribuntur quæ referre non est necesse. Pro Hoc quippe illic est Hac quippe; & pro noveritis, noveris. Post verbum videbantur, hæc ommissa sunt, & à nobis tot impensis laboribus vestra resistente contumacia recuperari non poterant. Pro canonica in libro Michaëlis Thomasi est cana. quod alij duo libri non agnoscunt. Pro ingenio est genio in veteri libro. Desideratur in appendice; in qua est decoraretur pro decorentur. A. Quid ex his probat Anselmus? C. Quæ sunt ante illas voces duas & infra posteriores, ab Anselmo videtur Gratianus accepisse. Ante illa verba Hac quippe, quæ etiam is habet, nonnulla sunt à Gratiano prætermissa. Noveris autem agnoscit, non verò quæ post verbum videbantur addunt alij. vocem canonica, & ingenio, & decorarentur retinet. (5) A. De capite sexto videamus. Et mendosè in Conciliis est v. i. quest. III. pro ix. quest. III. Rectè autem & à Cochlæo & à Demochare dicitur esse ex epistula Nicolai ad Michaëlem sæpe repetita. Idem referunt Ivo & Anselmus m; qui non Innocentium sed Bonifacium scribunt, ut est in Conciliis. Locus tamen quærendus apud Bonifacium, cui etiam adferibi partem horum verborum video relatam ab Hadriano minore in Concilio Romano, cuius mentio fit in octava sy-

9. q. 2. c. 10.  
Pater.

Ivo lib. 4. tit.  
1. c. 10. pa-  
norm. & par.  
5. c. 19. decr.

m. Anf. lib. 1.  
c. 72.

15. q. 6. c. 2.  
Auctorita-  
tem.

n 17. q. 4. c.  
30. Nemini.

o Ivo lib. 4.  
tit. 1. c. 9 pa-  
nor.  
p Anf. lib. 1.  
c. 9.

q 25. q. 2. c.  
18. Si quis.  
r Anf. lib. 4.  
c. 26. & lib.  
12. c. 3.  
f Caf. lib. 2. c.  
39.

t Deus-de. c.  
4.  
u Ivo par. 5.  
c. 35. dec.

nodo CP. actione VII. (6) Caput septimum ex epistula ad Episcopos Galliae esse dicitur, apud Petrum Ciaconium in incertis collocatur. B. Nusquam exstare adscripserunt Romani, qui notant ex ea probari auctoritatem epistulae primae Alexandri primi. A. Debuissent prius, cuius esset hoc caput, probare, nam ex incertis incerta probatio elicitur. Nicolaum relatas epistulas ab Isidoro Mercatore non improbare dubium non est. (7) Caput octavum ex epistula omnibus Episcopis missa Gratianus *n* & Cochlaeus ex epistula ad Michaellem Imperatorem Demochares, Ivo *o* & Anselmus *p* ut Gratianus. Quid selecti viri censent? B. Sententiam potius quam verba esse in illa epistula ad Michaellem. A. Mihi incertum adhuc hoc erit caput. (8) Caput nonum non recte in Conciliis editum fuit apud Gratianum inveniri xxxv. quaest. 11. cum xxv. causa *q* inveniatur. De inscriptione varietas est inter collectores. Anselmus *r* & Gratianus: *Nicolaus universali synodo praesidens*. Liber Caesaraugustanus *s* habet: *Nicolaus & Leo IV. in Concilio Episcoporum LXXXII. cap. IV. Deus-dedit t & Ivo u: Leo IV. in Conciliorum LXXII. cap. V.* Est in fragmentis editis Romae post xvi. epistulas Nicolai, ex aliquo fortasse Concilio, caput quintum. B. Selecti viri inscribunt: *Nicolaus civibus Constantinopolitanis*. quae est inscriptio extremae epistulae editionis illius Romanae. A. Non placet ea inscriptio. Nam quinque illa capita aliena sunt, ex synodo,

ut suspicor, contra Metensem synodum, & illos duos antistites Treverensem & Coloniensem, qui divortium Lotharij constituerunt. Hujus synodi Romanæ Nicolai mentio fit apud Reginonem in Chronicis anno Christi DCCCLXV. Pro illis verbis, *pro catholica fide vel ecclesiastica disciplina, pro correctione imminentium vel futurorum malorum*, illic est, *pro catholice fidei disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium seu futurorum malorum.* (9) Capitis decimi fons est magna illa epistula ad Michaëlem, ut Cochleus & Demochares notant; licet Gratianus & Nicolai tantum nomen adscripserit. Sed Ivo y & Anselmus z rectius Michaëlis etiam nomen retinent. (10) Extremum caput, quod nobis quoque hodie extremum erit, Gratianus a Nicolai clero & plebi Viennensis Ecclesiæ esse scribit. Sed Anselmus b ita inscripsit: *Nicolaus Episcopus clero & plebi Nonensis Ecclesiæ.* In libro Veronensi est: *Electo & clero Ecclesiæ Nonensis.* Quid tu ex Romanis libris habes? B. Libri cujusdam tui mentionem vidi in Thomasio libro. Eum esse existimo quem tu Veronensem appellasti. Eadem enim scriptura est in utroque libro. A. Incertum igitur hoc relinquamus hodie caput. (11) De ceteris alio die agemus.

x 35. q. 9. c. 6.  
Sententiam.  
y Ivo par. 5.  
c. 19. dec.  
z Ansel. lib. 1.  
c. 72.  
a De consec. d.  
1. c. 7. Eccle-  
sia.  
b Ansel. lib 5.  
c. 42. in ad-  
dit.





## ADDITIONES.

(1) **A**NTE caput primum distinctionis 22. hæc in eodem Romano libro verba sunt: *Vnde Nicolaus Papa II. scribit Mediolanensibus per Petrum Damianum Legatum suum. In margine, post vocem Papa est junior. Ans. Et: Ans. l. 1. c. 63. al. 64.*

(2) Gratianus in eodem libro ante caput 1. distinctionis 79. his verbis utitur: *Vnde Nicolaus Papa II. ait in epistola qua synodum à se Roma habitam refert cap. 1. Si quis apostolica &c. In margine est: Poly. l. 1. tit. 4. Ans. l. 6. c. 15. infra ead. c. Si quis pecunia. Et in Notis: Si quis ] Verba Nicolai in epistola qua in voluminibus Conciliorum impressis post decreta Nicolai primi habetur, hæc sunt: Primo nam. &c. Idem ferè habetur ad finem illius synodi, & refertur infra c. Si quis pecunia. ] Ante caput 9. Si quis pecunia, hæc verba sunt: *Vnde Nicolaus Papa II. in Concilio Romano statuit dicens. In margine additur: in fine. Et: Suprà ferè idem dist. ead. c. Si quis apostolica. Ans. l. 6. c. 16. Poly. l. 1. tit. 4. lvo par. 4. c. 8.**

(3) Capitis extremi distin. 97. in eodem libro inscriptio est: *Vnde Nicolaus Papa. Nobilissimus &c.*

(4) Hæc etiam est in eodem libro inscriptio capitis 123. *Per principalem. 1. q. 1. Vnde Nicolaus Papa Michaëli Imperatori in epistola qua incipit Proposueramus. In margine est: Infra 9. q. 3. c. Per principalem. Ans. l. 1. c. 75. & l. 2. c. 14. Dicti capitis 21. Per principalem. 9. q. 1. inscriptione est eadem: Item Nicolaus Papa Michaëli Imperatori in epistola cujus initium Proposueramus. In margine est: Suprà 1. q. 1. Ans. l. 1. c. 72. & l. 2. c. 14.*

(5) Ante caput 13. *Arguta. 2. q. 6. hæc in eodem libro verba sunt: Item cum Nicolaus Papa in Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum inuehat, qui Rhotandum Episcopum appellantem apostolicam sedem damnare ausus est, ita dicens. In margine hæc sunt: Al. Rothaldum. In appendice bibliotheca sanctor. pa-*

trum. *Ans.* l. 2. c. 67. Ad vocem *removit* est in margine: *Al. revocavit. orig.* Ad vers. *Hac quippe. Ans.* l. 2. c. 85. In Notis: *Cana* ] *Cum antea legeretur canonica. Emendatum sic est epistola ipsa, qua habetur manuscripta, & nuper est impressa in appendice bibliotheca: & in libro Ennodij pro Symmacho legitur, cana miracula, & canum genium, juxta illud Virgilij: Cana fides, & Vesta, Remo cum fratre Quirinus, Jura dabant.*

(6) Inscriptio capitis decimi *Patet profecto. 9. qu.* 5. in libro Romano hæc est: *Vnde Nicolaus Papa ad Michaëlem Imperatorem in epistola cujus initium Proposueramus.* In margine est: *Anselm. lib. 4. c. 75. Ivo p. 5. c. 19. Pann. l. 4. c. 11. Et vers. Nec de ejus. additur: infra ead. Ipsi sunt. p. nec de ejus.]* In Notis est: *Caput hoc apud ceteros etiam collectores multis verbis omissis in summam quandam redactum est. Innocentius] In epistola Nicolai & apud reliquos collectores est Bonifacius. Verum neque in Bonifacij neque in Innocentij epistolis inventum est quod hic assertur. In ea vero epistola Nicolaus refert etiam alia quadam ex epistola Bonifacij ad Episcopos per Thessaliam.*

(7) Caput secundum *Auctoritatem. 15. q. 6.* in eodem libro ita inscribitur: *Item Nicolaus Papa Episcopis Gallie.* In margine est: *Poly. l. 6. tit. 11. Et in Notis: Alexandri] Nicolaus citat epistolam Alex. I. de qua re notatum est supra dist. 19. Si Romanorum.*

(8) Quod attinet ad caput 30. *Nemini. 17. q. 4.* ejus inscriptio in eodem libro est: *Vnde Nicolaus Papa omnibus Episcopis.* In margine est: *Ans. l. 1. c. 21. Pann. l. 4. c. 10. In Notis hæc leguntur: Epistola ex qua hoc caput est sumptum non extat. Aliquid tamen simile habetur in epistola prima ad Michaëlem Imperatorem.*

(9) Ante caput 18. *Si quis dogmata. 25. q. 2.* in eodem libro hæc sunt: *Item Nicolaus Papa universali synodo præsiciens dixit in Concilio Romano c. ultimo.* In Notis additur: *Caput hoc extat in Concilio Roma habito, in quo Nicolaus Papa primus Thietgandum & Guntarium Episcopos deposuit. Quod Concilium impressum est Roma post epistolas ipsius. In mar-*

gine est: *Poly. l. 1. tit. 17. Deus-dedit p. 4. Anselm. l. 4. c. 26. & l. 12. c. 3. Ivo p. 5. c. 35.* Edita sunt verba synodi.

(10) Hæc etiam est in eodem libro inscriptio capituli 6. *Sententiam. 35. qu. 9. Item Nicolaus Papa ad Michaëlem Imperatorem in epistola septima.* In margine est: *Anselm. l. 1. c. 7. Ivo par. 5. c. 19. Voluerit.] Sic etiam in originali impresso. Sed Anselmus & Ivo habent renuerit.]* Vid. dial. 19. add. ult.

(11) In eodem libro inscriptio capituli 8. *Romanis de consecrat. dist. 1. hæc est: Item Nicolaus Papa de. Etto & clero Nonensis Ecclesia. Ecclesia, id est, catholicorum collectio &c.* In margine est: *Anselm. l. 5. c. 4.*

## DE EADEM RE.

*Dialogus decimusquartus.*

C. LÆTOS nos fecit recens ex Urbe tabellarius, qui attulit aliquot Gratiani pagellas ad te G. missas, ut cognoscere posses qualis esset, quæ prope diem finem accipiet, Romana juris pontificij editio. Eas igitur ad te pagellas adferimus, ut quid tibi videatur, scire possimus. A. Pergratum mihi est perque jucundum quod dicis. Ipsas igitur pagellas videamus. C. Cur idem caput vario genere litterarum scriptum est? A. Sic distinguuntur, ut opinor, Gratiani verba à verbis aliorum. Sed & aliis litteris verba selectorum virorum conscripta sunt, aliis scholia Ioannis Teutonici & aliorum interpretum. B. Numeros addunt singulis capitibus; sed an sequantur Contij editionem, ignoro. Illud videtur retinuisse ex aliorum vulgari usu quod  
singulis